

DE TYPHO.



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARIA

UNIVERSITATE TURICENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XI. IANUARIJ ANNI MDCCCXL

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

CAROLUS GANZ

ROBASO-TURICENSIS.

TURICI

EX OFFICINA ZÜRCHERI ET FURRERI

1840.

VIRO

NOBILISSIMO ET PERILLUSTRI

CONRADO DE MEISS

MILITUM TURICENSIVM

PRAEFECTO QUONDAM ET INSPECTORI!

SUPREMI REI PUBLICAE TURICENSIS CONSILII

QUONDAM SOCIO

URBIS TURICI SENATORI

FAUTORI PIE COLENDO

HUNC LIBELLUM

GRATO ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

PROCEMIUM.

Summis Medicinae honoribus qui in Academia Turicensi ornari velint, cum et consuetudine et lege libellum conscribere atque evulgare obstringantur, ego quoque isto meo libello viros obtundo experientissimos; nam alioquin a conscribendis edendisque libris me prorsus abhorrere et sentio et fateor. Quod si igitur invenirentur, qui, quod nihilo minus et mihi ipsi repugnans evulgassem libellum, insolentiae aut etiam ostentationis me insimularent, maxima atque acerbissima me afficerent iniuria.

De Typho scribere conatus sum, quia nosocomia, quae a Viris experientissimis Loë, Schoenlein et Chomel dirigebantur, illustria mihi persaepe hunc morbum observandi copiam occasionemque prae buerunt. Caeterum scriptores hac de re agentes perpauco me legisse, prae aliis tamen P. Frankii plana huiusce

morbi et explicata descriptione (epitome t. 1.) et clarissimi de Pommer perlucidis atque eximiis dissertationibus de typho (videantur eiusdem Beiträge zur Natur- und Heilkunde; Beiträge zur Kenntniss des sporadischen Typhus. cet.) denique Hopei non minus excellenti eiusdem morbi residuorum post mortem explicatione (Grundzüge der pathologischen Anatomie) in componendo meo libello usum esse, ingenue confiteor.

DE TYPHO.

DEFINITIO.

Typhus est morbus, qui modo aucta modo minuta effi-
cacitate, semper tamen depresso nervorum systematis robore,
continuis febribus, magna musculorum resolutione atque
inertia, spontanea sanguinis dissolutione, insigni reproductio-
nis perturbatione et plerumque coniunctis aut singularium
aut, quod saepius accidit, plurium membranarum aut visce-
rum inflammatione et suppuratione notatur.

Typhus (*τύφος*, fumus, *sopor*, *τυφώω*, sopio) ab antiquis
omnis quisque morbus sopore coniunctus appellabatur; nunc
vero hoc vocabulo plerumque quem modo definivimus morbus,
qui alias plurimis et nominibus et definitionibus gaudet, signa-
tur. Sed gravissima et quae in curando morbo maximi erant
momenti addere satis est.

Febris nervosa ab aliis appellabatur medicis, qui typhum
magis nervorum systematis quam sanguinis morbum iudica-
rent. Sed primus cl. Willis extitit, qui hac typhi significa-
tione uteretur, quem postea Cullen, P. Frank, Pinel secuti
sunt. Valde memorabiles cae praesertim notissimae partes
sunt, in quas duo qui postremo loco nominati sunt medici
morbum hunc dividerunt, cum in diiudicando sanandoque
morbo istae partes vere sint momenti, febris atacta scilicet
Frankii, et febris adynamica Pinellii.

Febris putrida contra ab illis medicis nominabatur typhus,
qui, repudiata medicorum priorum sententia, sanguinem morbi

veram haberent sedem, nervosa symptomata autem non nisi ex afflicto sanguine oriunda ac secundaria proclamarent, scilicet post Galenum Sydenham, Boerhave, van Swieten, Selle. Quae sententiae denominationesque in medicinae tractatione (*πράξις*) ita valuerunt, ut medici priorem professi magis vitia et concitantia, iidem posteriorem secuti magis antiseptica praeberent medicamina.

Asthenopyra, *febris asthenica* denique typhus ab iis nuncupabatur, qui praesertim depressum virium vitalium statum in hominibus typho affectis observarent, exempli gratia a clarissimis Swediaur, Brown cet. Nonnullas alias morbi denominationes atque medicorum de eo opiniones, ubi de complicationibus acturus sim, explicabo.

De morbi ratione.

Priusquam febris vere apparet, quae sequuntur symptomata conspiciuntur, eaque tamquam morbi praenuntii, si ita dicere fas est, haberi possunt.

Animus aegroti tristis, inquietus, anxius, demissus, morosus. Somnus aut desideratur aut terribilibus somniis impletur; numquam reficit. Aegrotus languorem membrorum ac lassitudinem queritur. Omnia eum gravant atque defatigant; ipsis vestimentis membra premuntur. Taedet eum negotiorum animi, imo imbecillitatem animi sentit. Caput gravatur, vertigine corripitur. Vultus mutatus, color luridus. Mox externis et adventiciis visionibus valde irritabilis. Gustus elimatus, appetitus nullus. Fastidio capitur. Compressiones in scrobiculo cordis patitur. Saepissime epiphora opprimitur. — Quae symptomata postquam aut per aliquot dies aut etiam per aliquot hebdomades observata sunt, febris apparet.

Aegrotus tunc leni algore aut saepius redeunte frigore tentatur. Mox calor sequitur continuus, qui post aliquod tempus in calorem mordacem transit, et a calore vitali, qui in morbis pure inflammatoriis animadvertitur, omnino distingui debet. Mordax appellatur calor, quia manus aegrotum tangentis quasi morsum et ustionem patitur, quamvis vera corporis temperatio non solum non aucta sed potius diminuta sit.

Febris ab initio naturam atque indolem febris continuae remittentis manifestat, et saepissime per plures dies hemitritaeum format carentem tamen frigoribus; sed mox in febrem continuam continentem transire solet. Quam diu intermittat, exacerbationes sera vespera aut media nocte apparere solent, usque in medium diem antemeridianum durantes. Pulsus arteriarum frequentissimus, C aut CXXX ictus, interdum quoque tardior, LX tantum ictus in sexagesima horae parte habens; caeterum exiguus, mollis et qui facile opprimi possit, non nunquam tamen duriusculus quoque invenitur. Lingua ab initio saepe naturalis, saepe albula, tremula, torrida, saepe rubra et carni crudae similis; postea violacea, nigra, rimosa fieri solet. Sed quamvis lingua torrida sit, aegrotus tamen siti non cruciatur, imo interdum a liquoribus abhorret, eosque aversatur. Alvus ab initio restricta, postea tamen pituitosa, cana, subfusca, sanguinea ac foetidissima profluvia, quater, sexies, octies, duodecies per diem, ingruunt; e quibus verumtamen morbus etiam non nunquam nascitur, scilicet si ab initio aderant. Simul venter saepe torpidus, saepe dolore repletus, extensus, aëre tumidus (meteorismus). Urina copiosissime secernitur; est faeculenta, fusca ut ictericorum, male olens, furfuraceo sedimento. Cutis torrida modo et aspera, modo viscida, frigidis et lentis sudoribus tecta. Rebus ita constitutis aut in morbi principio aut serius miliaria, et quidem rubra in pectore, alba in ventre, deinde peticu-

lae comparent et illud typho proprium ἐξάνθημα a Franco-
gallis *tâches typhoides* nuncupatum, et quod praesertim in
partibus corporis calidioribus, in pectore scilicet, in ventre
et in interiore crurum latere conspicitur. Nunquam super
cutis superficie elatum, et quod formam attinet, morbillis
simile est, sed subfusciore colore. Saepe una cum peticulis
comparet, quo fit, ut facillime cum iis confundatur. Raro
diutius quam dies quatuor perdurat, neque in aegroti vale-
tudinem ullam vim exercet. Is permagnam musculorum iner-
tiam conqueritur, sese cum erigere velit, statim corruit aut
subitam animae defectionem patitur. Dolent membra, prae-
cipue regio sacra, caput, prae caeteris tamen occiput. Nunc
lucem fugit aegrotus, nunc amblyopia amaurotica cruciatur.
Aures ei sonant susurrantque; aurium nervi vehementer sunt
irritabiles, aut etiam aurium tarditas, imo surditas adesse
potest. Perpetua corripitur aegrotus vertigine. Aut somno
prorsus caret aut sopore affectus iacet. In deliria cadit mussi-
tantia aut furibunda, etsi in his vera virium contentio non
cernatur, sed aegrotus, ut exemplo utar, cum e lecto exsi-
luerat, continuo torpens corruit. Deliria, quamvis inertior,
si ad rem spectas, febris sit, saepissime tamen vehementissi-
ma conspiciuntur, et contra in vehementissima febre deliria
modo aut levissima sunt aut per aliquod tempus omnino
desunt. Typhus si torpidae quam dicunt naturae magis est
quam erethicae, aegrotus omnia negligit atque torpore affi-
citur. Si sopitus non est, delirat semper et vomitat. In ore
ac faucibus, et si nonnullis credere vis medicis, etiam in
membrana mucosa genitalium aphthae oriuntur. Totum oris ca-
vum, labia naresque circumlitione fuliginea teguntur, quae
sublata semper renascitur, et ab his e muco arido, ab illis
ex epidermide mortua, ab aliis e sanguine dissoluto et esu-
dato oriunda putatur. Maxima denique sanguinis dissolutio

torporque membrorum conspiciuntur. Aegrotus *καρφολογία* et *προκνδισμῶ* afficitur, ad lectuli finem labitur, urinam facit et, quamvis noluerit, alvum exonerat; aut detrusore debilitato urinam reddere non potest, quae urinae retentio inflammationem vesicae et gangraenam efficiat necesse est. Typhi *ἐξάνθημα* peticulaeque livida fiunt et nigra; in corporis superficie loca incensa conspiciuntur tam ex decubitu quam ex crisi metastatica orta. E naribus et tractu intestinali sanguis profluit, et aegrotus sub convulsionibus animaeque deliquiis tam propter maximam vis vitalis confectionem, quam propter inoplatum asthenicarum morbi cursu ortarum organorum, quae maximi sunt momenti, inflammationum exitum, spiritum exhalat.

Aegrotus typho affectus, si non moritur, per crisin rarius quam per lysin sensim pedetentimque magis minusve perfecte sanatur. Omnium excretorum, quae ad aegrotum sanandum adiuvant, maximi momenti haud dubie sudor est, qui tamen per totum corpus diffusus satisque largus et calidus sit necesse est. Quam diu permaneat, lingua humida et cutis, quae adhuc membranacea fuit, mollis atque flexibilis fiat, ardoremque suum intolerabilem fere et mordacem amittat aequè necessarium est.

Alia quamquam rarior tamen non minus scitu digna sanatio per sedes efficitur. Venter, adhuc extensus tumefactusque, mollior magisque tenuis redditur, et dolores, si qui aderant, discedunt. Excrementa, quae adhuc aquatica erant, pulti similia, copiosa sed non frequentia evadunt. Quam crisin prosperiorem certioreque illique per sudorem effectae esse praeponendam, rariorem tamen et in febribus tantummodo stupidae ut aiunt naturae plerumque comparere ipse expertus sum. Tertia crisis, vehementer utilis et frequentissima, per somnum efficitur. Is per dimidium, imo per to-

tum diem durare potest, quo finito aegrotus sese egregie refectum firmatumque esse sentit, cibumque adhuc obstinatissime repudiatum appetit; vitam quasi induit novam.

Typhum per urinam discessisse nunquam comperi. Caeterum fuscus urinae color eodem quo sanitas restituatur gradu sensim in flavescentem immutatur, quae tamen mutatio nullam in morbi tenorem vim exercet.

Rarius et minus prospere typhus per erysipelas aut purpurae vel furunculi formationem crisin init; saepius per gangraenam metastaticam non solum in locis membrorum, quibus aegrotus in lecto iacens innititur, sed in aliis quoque, exempli gratia, in dorso pedis.

Sanguinis profluvia praesertim e tractu intestinali periculosam esse crisin arbitror, quae scilicet facillime quam dicunt colliquefacientem induit naturam. Narium sanguis, qui primis sex octove diebus praeteritis sed non nimium large effuseque profluit unaque cum illo proprio typhi exanthemate (tâches typhoides) apparet, capitis dolores quidem febrimque eximie sublevat, nunquam tamen morbum tollit. Sin vero peracto vicesimo aut tricesimo die appareat, magni in morbi crisi momenti esse potest, nimirum si stupor, deliria, vertigo, aurium sonitus, capitis dolor eo minuuntur.

In pneumonia saepissime cum typho coniuncta sputa quoque gignuntur critica.

Inflammatio atque suppuratio parotidum pessimis morbi speciebus adscribi debent; saepissime enim tumor collabitur, atque inexpugnabilis paene somni necessitas, sopor et apoplexia serosa sequuntur.

Caeterum crises hae vel lyses aegrotum haudquaquam semper in integrum restituunt, interdum etiam morbi et sanabiles et insanabiles, exempli gratia, morbus hecticus, phthisis, ulcera, stupor, paralyses, uti caecitas, surditas, cet.

remanent. Sed fieri quoque saepe potest, ut aegrotus priorem valetudinem non solum sed meliorem recuperet, quum typhi processu morbi ei prius inhabitantes pellantur, ut scrophulae, exanthemata chronica, morbi abdominales, cet.

Aegrotus quamvis post crises, quas nominavimus, meliorem valetudinis statum ingrediatur, tamen mortis haudquaquam nanciscitur securitatem; nam quae manant ex asthenicis quae aderunt inflammationibus irritationes usque ad diem a morbi initio sexagesimum mortem affere possunt.

Raro aegrotus typho affectus funditus sanatur ante hebdomades octo; plerumque hebdomades duodecim sedecimve aut etiam plures praetereunt, priusquam in integrum restituantur. Hoc tempore capilli crebro effluunt et epidermis desquamatur. Sed appetitus vehementissimus efficitur, aegrotus bene dormit et in utroque sexu magna genitalium concitatio animadvertitur, quae in iis, qui cholera morbo affecti erant, nunquam conspicitur.

De symptomatum consecutione, de chronologia morbi et in stadia dispositione haec, quae sequuntur:

Schoenlein, Balling et alii typhum in stadia septem vel trium et dimidii dierum accurate disposita dispertunt, in stadium catarrhale, nervosum, et criseos. Morbum enim ad diem decimum quartum crescere, inde ad vicesimum primum crisis inire, crisis vero in medio tertio septem dierum stadio in fastigium venire arbitrantur. Sed morbi ipsius initium a novissimi frigoris, quod aderat, tempore et ab inito fervore continuo constituendum, minime tamen hac in computatione illorum morborum, e quibus typhus nasci potuerit, tempus adnumerandum esse docent.

Febris nervosae initium accurate statui non posse, morbi fastigium autem die circiter nono cerni, Berends affirmat.

P. Frank periodos huius morbi constitutas easque normales prorsus negat.

III Celeres vices, enormitatem et repugnantia sibi symptomata notam typhi ac proprietatem esse, medici semper certe una mente affirmarunt. Ego quoque, quotiescunque hunc morbum circumspexerim, stadiorum consecutionem a certa lege prorsus alienam semper inveni; nunquam illa septem triumve et dimidii dierum stadia videre potui, semper enim impari fuerunt longitudine, tam si ipsa stadia quam si singulos qui affecti erant typho homines consideres. Contra, octavo, rarius nono die, morbum mirum in modum deteriorationem fieri semper fere comperi.

Quod ad consecutionem singulorum, quae supra enumeravi, symptomatum et quod perduraverunt tempus, attinet, hunc ordinem, qui tamen in singulis casibus non semper idem erat, afferre possum.

Quae supra enumeravi symptomata, typhi tamquam prodromi, semper ante ipsius morbi initium cerni solent, quamvis etiam ex aliorum sententia deesse possint. Stadium prodromorum et, si contagium aliquod vim exercuerat, stadium infectionis. Febri incunte typhus per duos quatuorve aut sex dies febris rheumaticae, gastricae, saepissime tamen febris catarrhalicae speciem induit; sed correptus ea aegrotus plerumque in longe deteriorem morbum, quam e symptomatibus concludi possit, sese incidisse sentit, iamiamque etiam symptomatum singulorum discrepantia apparet. Stadium catarrhale; inflammatorium, effervescentiae, germinationis, irritativum, erethicum, exanthematicum, ebullitionis — significationes, quae auctam virium vitalium efficacitatem et commotionem indicant, simulque docent, qua ratione aegrotus in hoc morbi stadio tractari velit. Nunquam tamen, adversus omnem efficaciam auctam, in typho semper virium vita-

lium energiam concidisse, neque hunc morbum unquam naturam vere synochalem, quamvis multi eam affirmant, habere, obliviscamur.

Conspectis denique morbi nervorum sanguinisque dissoluti symptomatibus, deliria nocturna audiuntur, quae etiam mane efficacia animi prorsus libera non sequitur. Videmus porro linguam aridam rimosamque, urinam vero badiam fieri, cutem calore mordaci affici, aegrotum titubare, vertigine corripì, torminibus profluvioque laborare, cet. Stadium nervosum, typhosum, paralyticum, quod dies sex aut octo undecimve perdurare potest.

Finito stadio nervoso natura, ut morbus ineat crisin, laborat. Quae elaborationes supra denominatae modo per diemidiam modo per totam hebdomadam atque etiam diutius usque ad diem morbi vicesimum sextum tricesimumve durant. Stadium criseos.

Priusquam morbus funditus tollatur, hebdomades imo etiam menses praeterire possunt. Sanatio certo in tempore non perficitur. Stadium reconvalescentiae.

De iis, qui cum typho sociari solent, morbis.

(De typhi complicationibus.)

Typhus morbus universalis esse potest, ita ut neque vivente, neque mortuo aegrotò vitium certo loco inhaerens, quod aut causam morbi dederit aut durante morbo sit enatum, inveniri queat. Saepius tamen typhus cum vitiis certo loco inhaerentibus et plerumque inflammationibus, uti iamiam in morbi definitione pronunciabatur, coniunctus est. Et fere non unum tantum sed plura organa et simul in diversissimis corporis cavis hac athenica inflammatione occupata sunt. Equidem nunquam certe corpus aperiri vidi, in quo id non

conspiceretur. Caeterum ex istis inflammationibus aut typhus gigni aut eae ex typho nasci potuisse, notum est. Quarum has maximi momenti esse censeo:

Inflammatiō cerebri. Chirac et post eum Marcus compluresque Anglobritanni, ut Mills, Batemannus cet. typhum encephalitidem (brainfever) esse asseveraverunt. Chardon et Boisseau vero encephalitidem ita ut separari non possit cum typho coniunctam, semper tamen cum una aliave inflammatione sociatam esse defenderunt; nominaverunt igitur typhum gastroencephalitidem, pneumo-pleuro-encephalitidem, cet. Sed utramque sententiam parum accuratam esse in erroremque inducere, nihilo minus tamen encephalitidem cum typho sociatam esse, anatomia pathologica abunde docuit.

Symptomata, quae iuxta typhi symptomata prae ceteris conspiciuntur, haec sunt. Tristitia mentis, dolores capitis, stupor porro, sopor; manus iterum iterumque capiti adhibendi impetus; convulsiones, paralyses.

Angina, angina gangraenosa, putrida, maligna. Color faucis ex rubro subniger, violaceus; die secundo tertiove maculae oriuntur, margine ex rubro nigrescente circumscriptae, quae post in pustulas luteas subnigrasque transeunt, sub quibus causticus maleque olens humor effluit, qui, quum membranam mucosam organorum respirationis aut digestionis tetigit, tussim, vomitum et ulcera facile in gangraenam transeuntia gignit. Detrusis pustulis, membrana mucosa facillime sanguinem effundit. Neque glutire neque loqui aegrotus potest.

Pneumonia, pneumonia nervosa, putrida. Gravis hebesque in interiore pectore compressio; angor, brevis et operosa respiratio; tussis valde contendens ac defatigans, principio sicca, deinde sputum decolor, male olens, tenui saepe ac fusco sanguine commixtum eiciens. Dyspnoë ita, ut in asthma transeat, augetur. Animus aegrotum frequenter relinquit.

Gastritis et enteritis. Hic typhi socius a clarissimo Broussais gastro-enteritis, a Schoenleinio gangliorum typhus, ab eodem posteriore tempore et a Ballingio typhus abdominalis, ab Hufelandio ileitis pustulosa, a Bretonneau dothienenteritis et ab aliis aliis quidem nominibus denominata, sed plerumque non accuratius diiudicata est, quam cerebri inflammatio cum typho coniuncta a Marco, Chirac, aliisque. Anatomia enim pathologica hunc socium, quamvis in eorum numero, qui frequentissimi cernuntur, haberi deberet, non prorsus inseparabilem a typho esse coarguit; vix tamen solus sed una cum cerebri aut pulmonum inflammatione apparet. Broussais igitur in typho tractus intestinalis irritationem in cerebrum sympathetice transferri verissime affirmavit. Ea tamen inflammatio in ventriculo ipso non magna, fere nunquam in duodeno et ieiuno, sed in caeco et in tertia inferioris ilei parte maxima videtur. At quum iamiam sexcenties meliusque, quam equidem possem, descripta sit, de huius inflammationis ratione verba facere supervacuum mihi videtur. Rei cupidos ad Virorum clarissimorum Chomel et de Pommer volumina delego. Sed Neumannum in libro suo alioqui excellenti vehementer errasse, non possum non addere, asseverantem, clarissimum Broussais, qui ulcerum intestinalium gravitatem monstraret, primum extitisse. Vir enim experientissimus de Pommer iamiam septimo ante anno, anno scilicet p. Ch. n. C1888XVII, quum hanc observationem cum Viris experientissimis communicaverit, optime de rebus medicis meritus est. At veras illas atque iustas vituperationes, quibus Albersium persecutus est, prorsus perdidisse videtur Eisenmannus.

Schoenleinus, quippe qui haec symptomata in diagnosi huius typhi socii (typhi abdominalis scilicet) pathognomica esse contendat, dolorem atque rumorem, qui presso cocco oritur, murmurantem magni aestimat. Verumenimvero etsi omit-

tam, ea symptomata, si meteorismus stuporve magnus adest, non posse animadvorti, eadem aliis quoque in morbis, qui speciem neque typhi neque inflammationis prae se ferunt, conspici, nemo infitias ibit. Exemplum proferre lubet, quo apparebit, necessarium esse, ut ex istis symptomatibus falsa diagnosis, falsaque inde aegroti tractatio consequatur. Medicum ponamus vocari ad aegrotum, qui paullo ante vomitorium, quod non extemplo in venis concipiebatur, sumserat. Eo tempore, si fortuito typhus epidemicus est aut endemicus, errorem medicus vix et ne vix quidem evitabit, qui duo quae supra attuli symptomata nimis magni ducturus sit, eoque minus, quam aegrotus, si tartarum emeticum sumserat, sese permagno laborare profluvio, affirmabit. Aegrotus forsán vertigine usque corripietur, pallido erit ore capitisque doloribus affectus; erunt ei buccae fluentes, oculi conditi, tempora collapsa; ut semper in διαζήσις, ubi intestina paene vacua sunt, etiam nunc rumor ille murmurans audietur; per manum medici, qui, typhum cognoscere concupiscens, aegrotum forsán aliquantulo vehementius tangit, dolores efficiuntur, etc. etc. Error quidem perbrevis cognoscetur, quum aegroti, ut in his tribus certe huius modi morbis, quos ut contemplerer mihi contigit, post dies tres quatuorve funditus sanati atque alacres sint discessuri. Aestivo tempore, quum morbi biliosi grassantur, quae sunt generis eiusdem, non nunquam videntur.

Denique Schoenleinium, Virum experientissimum, etiam de formis typhi abortivis disseruisse, in lectorum memoriam revoco. Verum quum rerum naturalium cognitionem non ita equidem compertam habeam, ut possim intelligere qua ratione morbus aboriri queat, hac de re nihil amplius proferam. Si contra Tottius et Neumannus et forsán alii, quorum nullam habeam cognitionem, affirmarunt, typhum in sua via

praecidi posse, et ego ex exigua quae mea est experientia sententiae huius veritatem testari queo, quamquam casum hunc nunquam vidi, nisi typhus diem nonum nondum excesserat. Praeter quas nominavimus inflammationes, cum multis etiam aliis typhus sociare sese potest, ut cum inflammatione iecinris, venarum, intestini recti (dysenteria asthenica), vulnorum, extremitatum (gangraena nosocomialis, gangraena senilis, necrosis, ustilaginea), glandularum inguinalium et cutis (pestis orientalis), peritonaei post partum (febris puerperalis nervosa), cel.

Typhum quoque petechialem in medio posuerunt medici, qui tamen, si descriptioni fides haberi potest (ipsum morbum ut contemplarer mihi non configit), nihilo ab aliis typhi speciebus differt nisi constantiore itineris ratione frequentioreque ac priore typhi exanthematis (*tâches typhoides*) apparitione.

Sundelinus quinque febris putridae species, octo nervosae exhibet. Compendia, quibus in scholis plerumque utimur, enumerant typhum, febrem putridam, febrem nervosam, exanthemata putrida, pestem levantiam et pestem Indiae occidentalis, cet. Sed omnium horum morborum descriptiones etsi accuratissime comparavisses, nullam tamen eorum in natura positam differentiam unquam affirmare posses. Nam ut affectionem localem praetermittam, unius cuiusque horum morborum descriptio optime quoque in ceteros quadrat. Causae, symptomata, iter, prognosis, therapia, corpora mortuorum aperta cet. non impediunt, quo minus unum eundemque morbum in omnibus agnoscas. Definitio igitur, quam in dissertationis primordio protulimus, in omnes typhos febresque nervosas et putridas optime quadrat. Itaque typhi vim ac naturam ab his in mala nervorum affectione, ab illis in sanguinis morbo, ab aliis denique in intestinorum inflamma-

tione quaesitam inventamque esse, e nostra typhi descriptione elucet. Omnes recte iudicavisse arbitror, neque hac de re sententiam proferre ultimam mihi in mentem incidit. Quoad typhum considerare equidem potui, symptomata nervosa semper prima comparuerunt, quae post sanguinis dissoluti signa sunt secuta; imo etiam, quum nervorum irrationes iamiam fastigium paene iniissent, nullum omnino in sanguine e vena misso dissolutionis signum conspici potuit. Contra e Lindii scriptis, ex Ansonii itinere circum orbem terrarum et e variis scorbuti et typhi carceralis descriptionibus scimus, sanguinis dissolutionem in scorbuto typhi apparitionem nervorumque irrationem diu praeire posse.

De ratione denique, qua inflammationes cum vi ac natura typhi coniunctae sint, iam supra disserui.

De iis quae apertis mortuorum corporibus inveniuntur.

In cavo cranii: cerebrum aut molle aut durum; venae et sinus venosi cerebri sanguine fusco et fluido completi. In cavo cerebri et intra membranas cerebri: aqua effusa. In basi cranii: sanguis e vasis effusus (de Pommer). In cavo pectoris: copia humoris serosi; in membrana mucosa organorum vocis: rubor nigrescens et exulceratio (de Pommer); in pulmonibus: inflammatio, hepatitis, oedema et emphysema; bronchiorum membrana mucosa ex rubro nigrescens, parique modo tunica cordis magnorumque vasorum interna, qui rubor tamen nigrescens nunquam inflammatione efficitur, sed post mortem semper oritur, propterea in corporibus sexta aut octava post mortem hora nondum conspici potest, horis autem viginti quatuor octove post mortem praeteritis, adest semperque augetur. In hominibus, qui attacto morbi fastigio moriebantur, maximus est, et in eadem semper ratione inve-

nitur atque sanguinis dissolutio, quam in morbi fastigio perfectissimam esse, postea autem gradatim minui nemo nescit. Aestivo tempore rubor hic prius apparet quam hieme. In ventre: hepar turgidum et molle; lien mollis et turgidus, eademque viscera colore nigrescente praedita. Membrana mucosa ventriculi intestinorumque subfusca; in ventriculo: maculae violaceae, quae per medium duas aut quatuor lineas occupant (de Pommer). Quod attinet ad ulcera intestinorum, ad libros Viri spectatissimi de Pommer supra nominatos et ad Hopei descriptionem inflammationis simplicis glandularum Peyerii delego.

Chemicam sanguinis constitutionem Reid Clanny et Denis descripserunt, quorum primus sanguinem hominum typho affectorum cum sanguine phthisicorum, ultimus vero cum sanguine scorbuto laborantium comparavit.

De chemica constitutione urinae, faecum, materiae, quae miliariae pustulis continetur, decubitus, cet. diversae latae sunt sententiae, quae tamen adhuc nondum satis probatae videntur.

Mortua eorum, qui typho erant affecti, corpora plerumque macerata sunt, celerrimeque putrefiunt.

De typhi causis.

Causarum, quae vulgo praedisponentes vocantur, prima est pubertas, praesertim ab anno quarto decimo usque ad annum vigesimum octavum; priore aut posteriore tempore morbus rarius compareret. Mares facilius morbo tentari putantur quam feminae; sed adhuc sub iudice lis est. Utrum constitutio quid conferat, ut homines typho occupentur, nec ne, valde incertum est; nam dum constitutio irritabilis atque infirma accusatur, homines robustissimos quoque corripit typho, correptosque semel magis cruciari faciliusque mori quam qui

infirmi ac fragiles habentur, experientia edocti scimus. Caeterum singulis typhis infirmos, epidemicis robustos homines magis occupari, quis est qui nesciat?

E causis quae fortuitae appellantur peculiarem aëris constitutionem ac naturam nomino; facillime enim haec typhum gignit, si ea durante homines laboribus sese frangunt, perfrigescunt, madefiunt, atque eo quidem facilius, si victu ad vitam sustinendam necessario insuper carent. Schoenleinus, Vir summus, multas huius aëris constitutionis explanationes et quidem doctissimas exhibuit. Regiones praesertim ignibus generandis nutriendisque soli naturali materiâ insignes, flammarumque earum eruptiones efficientiae illius pestiferae accusavit; sed ubi locorum, quaeso, haec soli proprietas maior cernitur, quam apud Chilienses Owaihienses Islandenses? Attamen ibi typhi, quod sciam, rarissimi inveniuntur. Ventos deinde super extensiora loca arenosa ac sabulosa flantes ad generandum typhum multum conferre, vir experientissimus contendit. Sed Harmattan in Senegambia contrarium docet, regionesque ab Atlante in meridiem spectantes, ubi, si vera esset viri illustris sententia, typhus vehementissime saeviret, semper fere ab isto morbo sunt intactae. Conferantur Rileyi, Davidsonii, aliorumque relationes.

Tertio confluentes aquae dulces et salsae incusantur. Sed plurima fluviorum ostia in omni terrarum parte contrarium exhibent. Nunquam nisi aquae in mare defluentes impediuntur, lacunaeque formentur, aër in regionibus calidioribus temperatorioribusve illam pestiferam accipit naturam, quae tamen a lacunis mediterraneis longeque a mari remotis quoque procreari potest. Praeter alias lacunas fluminis Mississippi longius quam C. milliaria ab ostio sitas ex Xarayes lacunas memoro. Contra lacunas aquam non nisi marinam continentes, ut quae ad Valentiam, ad Settium, ad oras Guineenses sitae

sunt, eandem vim exercere videmus. Sed aquas stagnantes plantis aliisque rebus vegetabilibus putridis repletas, aut aquarum rebus putridis inquinatarum haustum typhum facillime generare atque malignum reddere, certissimum est. Typhum vero ut frequentissime in aedibus novis vel renovatis neque satis exsiccatis exoriri, sic etiam homines, qui primum pro longiore tempore domicilium cum alieno et procul sito mutaverant, aggredi, saepissime sum expertus.

Interdum miasmata rebus faventibus in contagia transire possunt, de quarum formatione ac natura Hildenbrandus conferatur.

Alia causa typhi fortuita est confectio virium aut nimis et animi et corporis laboribus, praesertim quum animo fracto atque alieno erant susepti, aut profluvii debilitantibus, aut sanguinis seminisve iactura, aut denique diuturnis alvi profusionibus adducta. Typhus sub aequatore (febris flava) et circum cardines (typhus scorbuticus), iuxta marium oras et in summis alpibus (typhus petechialis, pneumonia alpina) invenitur.

Prognosis.

Vix in ullo morbo tam incerta est prognosis quam in typho. Aegrotus, quum optimam morbus exhibeat naturam, moritur, et, quum res desperatissimae esse videantur, sanatur. Graves atque multiplices complicationes, typhi endemici (typhus abdominalis, febris flava, pestis etc.), graves nervorum affectiones, magna sanguinis dissolutio, crocidismus, carpologia, colliquefacientes et sanguineae alvi profusiones, vehementissima deliria, pulsuum acceleratio usque ad CXX et ictus plures in sexagesima horae parte, meteorismus; deinde apparitio horum symptomatum admodum matura, cet. semper omina sunt maxime detestabilia. Secundis

ominibus adnumerandae sunt lyses et crises, quae per cutem, intestinum rectum, aut per somnum iusto tempore apparent.

Therapia.

Therapia cum permagna medicamentorum, quorum plurima tamen parum utilia sunt, copia in Eisenmanni opere supra laudato descripta inveniatur, memet ipsum hoc loco annotationibus quibusdam in medicamenta, quae iterum iterumque praeberi vidi, contineo.

Hirudines saepissime diversissimoque numero in regione ileo-coecali adhibebantur; nullum tamen unquam vidi effectum.

Vesicatoria, quum copiosa alvi profluvia doloresque abdominales adessent, super magnam ventris partem, praecipue in regione ileo-coecali posita, semper et mirum quidem in modum has affectiones leniebant.

Aquae Püllanae, quas, quum profluvia adessent, a medico privato frequenter dari vidi, semper optimum effectum habuerunt. Caeterum eodem modo vim habuisse arbitror, quo mercurius dulcis, quum ut secreti illius acerrimi efficaciam in interiora tractus intestinalis latera eorumque inflammationem suppurationemque aut impediatur aut certe minuat, dari solet. Igitur si causae morbi aliae fuerint, medicamenta laxantia pessimum forsitan haberent effectum.

Aqua oxymuriatica in primo et secundo morbi stadio, per diem ab uncia dimidia usque ad uncias duas, vehiculis mucosis praeberi saepissime vidi, sed ne minimum quidem effectum me comperisse confiteor.

Moschus nullum habuit effectum. Aegroti enim praeter unum omnes, quibus hoc medicamentum medicus praebuit, mortui sunt. Cuius eventus causam in eo opinor conditam, quod non nisi in desperatissimis morbis medicus moschum

dare solet. Sed quum illum etiam unum, qui non moriebatur, magis magisque inquietum redderet et deliria febresque auget, intermitteri moschum oportuit.

Valeriana. Quamquam medici recentiores de medicamentis incendiosis severissime praemonuerunt, valerianam tamen in erethica typhi specie saluberrimam semper comperi. Cum sale ammoniaco coniuncta iamiam in primi stadii fine valeriana dari potest.

Arnica in stupida typhi forma efficacissima est. Quae data saepe vidi soporem cedere, animam redire, sudorem venire, excrementa aquatica pulsi similia, atque abdomen molle et tractabile fieri.

Camphora arnicam, si eius efficaciam in cutem spectas, superat, vincitur autem ab arnica, si vim cernis, quam in cerebrum et tractum intestinalem exercet, saluberrimam. Quum sanguinis dissolutio longius erat progressa, camphora cum cortice peruviano sociata apparuit efficacissima. Rebus ita constitutis Vir summus atque experientissimus, professor de Pommer, tamquam medicamentum probatissimum aquam seltersianam cum vino rhenano et saccharo albo commixtam commendat.

Cortex peruvianus qua ratione quandoque praeberi debeat, P. Frankius docuit. Magnas camphorae corticisque peruviani doses commendat Vir experientissimus, sed utriusque medicamenti doses etiam minores, cum maiores saepissime non sustinerentur, pulcherrimum effectum habere, comperi.

Sal ammoniacus primo typhi stadio optimum procul dubio medicamentum est. Nullum aliud pari modo vim exercere sum expertus. De Loë, Vir clarissimus, id summo iure atque merito remedium divinum nominavit. Alvi profluvia impedit, transpirationem auget, febrim minuit. Initio typhi cum datum sit, morbum tota ipsius vi erumpere

dare solet. Sed quum illum etiam unum, qui non moriebatur, magis magisque inquietum redderet et deliria febresque auget, intermittere moschum oportuit.

Valeriana. Quamquam medici recentiores de medicamentis incendiosis severissime praemonuerunt, valerianam tamen in crethica typhi specie saluberrimam semper comperi. Cum sale ammoniaco coniuncta iamiam in primi stadii fine valeriana dari potest.

Arnica in stupida typhi forma efficacissima est. Quae data saepe vidi soporem cedere, animam redire, sudorem venire, excrementa aquatica pulti similia, atque abdomen molle et tractabile fieri.

Camphora arnicam, si eius efficaciam in cutem spectas, superat, vincitur autem ab arnica, si vim cernis, quam in cerebrum et tractum intestinalem exercet, saluberrimam. Quum sanguinis dissolutio longius erat progressa, camphora cum cortice peruviano sociata apparuit efficacissima. Rebus ita constitutis Vir summus atque experientissimus, professor de Pommer, tamquam medicamentum probatissimum aquam selltersianam cum vino rhenano et saccharo albo commixtam commendat.

Cortex peruvianus qua ratione quandoque praeberi debeat, P. Frankius docuit. Magnas camphorae corticisque peruviani doses commendat Vir experientissimus, sed utriusque medicamenti doses etiam minores, cum maiores saepissime non sustinerentur, pulcherrimum effectum habere, comperi.

Sal ammoniacus primo typhi stadio optimum procul dubio medicamentum est. Nullum aliud pari modo vim exercere sum expertus. De Loë, Vir clarissimus, id summo iure atque merito remedium divinum nominavit. Alvi profluvia impedit, transpirationem auget, febrim minuit. Initio typhi cum datum sit, morbum tota ipsius vi erumpere

non patitur, sed primo tempore opprimit. Etiam stadio secundo in toto remedium est efficacissimum. Si in radice liquiritiae infuso datur, optimum est, quia permulti aegroti succo liquiritiae vehiculum illud proferunt.

Opium indicatum est, quum aegrotus valde concitatus, inquietus, anxius, depressus conspicitur; quum semper lamentatur, saepe delirat, nunquam somnum capere potest; quum os pallidum, cutis arida aut sudore lento contacta est. Rebus ita constitutis, opium vim celerrimam exercet et salubrem. Intestino recto ulceratione perforato, opium unum est medicamentum, quod, quum intestinum immobile reddat, aegrotum conservare possit. Intestinum esse perforatum, his quae sequuntur symptomatibus indicatur: aegroti, qui adhuc quieti vel etiam stupidi et ventre doloribus vacuo remissoque erant praediti, inquieti subito fiunt, eiulant, vehementissimis ventris doloribus afficiuntur. Quos quum perscrutari velis, priusquam tetigeris, clamorem edunt. Pulsus primo durus efficitur, postea prorsus intercluditur. Venter inflatur, os hippocriticum redditur. Aegroti post horas sex, duodecimve aut viginti quatuor peritonitidi pereunt. Corpore aperto lymphae effusa et stercus in abdomine conspicitur. Foramen in profundo ulceris ortum rotundum, quod tertiam digiti partem per medium occupat, cernitur, cuius marginem serosa tantum circumdatum ter vidi. Tres, quos mihi ut contemplerer contigit, aegroti, quamvis opium datum iis esset, mortui sunt. Ceterum Chomel et Louis, Viri experientissimi, hac de re sagacitate consueta agentes conferantur.

THESES.

1. Nitrum medicamentorum numero eiiciendum.
2. Mercurius dulcis medicamentum supervacaneum.
3. Tartarus stibiatus optimum pharmacum antiphlogisticum.
4. Opium eximium medicamentum antiphlogisticum.
5. Variolae, varioloides, varicellae idem morbus.
6. Febris intermittens nihil nisi nervorum morbus.
7. Asthma Millari spasmus.
8. Trepanatio prophylactica reprobanda.
9. Placentae strepitus nullus.
10. In quarta partus periodo situs in latere optimus.
11. Medicos generi humano plus utilitatis quam noxae contrahere, falsa est opinio.



THESES

1. *De medicamentis in nomine oblectantur.*
2. *De virtute dulcis medicamentum supercaneum.*
3. *De virtute stibis optimi pharmacia antiplo-*
cum.
4. *Optima eximium medicamentum antiplo-*
cum.
5. *De virtute vertiginis, vertiginis, vertiginis.*
6. *De virtute intermitten- tibus et nervorum morbis.*
7. *De virtute stibis optimi.*
8. *De virtute prophylactica repugnans.*
9. *De virtute stibis optimi.*
10. *De virtute parvis periodo stibis in latere optimi.*
11. *De virtute generalis horumque stibis optimi.*
contraque, hinc est optimi.